


Blank inserted to ensure correct page position

BVLLA CLEMENTIS PP. VII. CONFIRMATIONIS INSTITVTIONIS COLLEGII MILITVM. S. PETRI ET ALIORVM PRIVILEGIORVM CONCESSIONIS.



or manu yp.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Procmiũ

MINISTERI O ſacri Apoſtolatus officii: li cet immeriti preſidentes, ad ea, per que cun ctorum fidelium, preſertim nobis ſubditorũ & cum Camera apoſtolica, quouis modo con trahentium commodis conſulatur: & indem nitatibus prouideatur, ſolertie noſtre curas libenter dirigi mus, & ea que propterea per Romanos Pontifices illis cõceſ ſa comperimus, etiam noſtre protectionis munimine confo uemus: ac alias in his eiuſdem officii partes fauorabiliter im partimur: prout equitas ſuadet: & pro fidelium eorundẽ ſe curitate conſpicimus in domino ſalubriter expedire.

Narratio Bulle erectionis.

Dudum ſiquidem felicis recordationis Leo PP. X. predeceſ ſor noſter: ex certis neceſſariis, & vrgẽtibus tũc expreſſis cau ſis, de fratrum ſuorũ ſancte Romane Eccleſie Cardinaliũ de quorum numero tunc eramus, conſilio & aſſenſu, Colle gium Quadringentorũ & vnius virorũ, Militum ſancti Petri participantiũ nuncupatorum, ſub certis modo & forma, ex certa eius ſciẽtia: ac de apoſtolice poteſtatis plenitudine per ſuas literas perpetuo erexit & inſtituit: Ac pro eo: quod Mili tes tunc in dictis literis deſcripti: Quadringentos & vnum mille florenos auri de Camera eidem predeceſſori pro ſuis & Romane Eccleſie neceſſitatibus ſubueniendis, de propriis eorũ bonis in pecunia numerata perſoluerunt: Inter alia Militibus ſancti Petri pro tempore exiſtentibus (quos & cu iuſlibet eorum familiares: ac Capellanum ipſius Collegii ſi militer pro tempore exiſtentes: veros & indubitatos fami liares continuos commenſales ſuos, & Romani Pontificis pro tẽpore exiſtentis, exiſtere decreuit & declarauit) diuerſa priuilegia, gratias: diſpenſationes, facultates: antelationum prerogatiuas: Exẽptiones: decreta: declarationes & indulta etiam ſuper penſionibus annuis: ſeu illarum loco fructibus Eccleſiaſticis certe tunc expreſſe quantitatis, per ipſos ex eiſdem Militibus, qui etiam mere laici, ac coniugati: ac bi

Pro erectione Collegii olim ſoluti fuerũt Ducati 401000.

Narratio quorũdam Priuilegiorum.

Sũt familiares PP.

De pẽſionibus p laicis & coniugatis.

gami: & alias incapaces forent: percipiendis: ac accessu ad beneficia Ecclesiastica super quibus pensiones & fructus huiusmodi reseruarentur iu euentum non solutionis pensionũ seu fructuum huiusmodi: & beneficiis ipsis in euentũ accessus huiusmodi ad certum tempus in cõmendam obtinendis Ac facultate tam laicis huiusmodi: quam qui clerici forent: Militibus prefatis quascunque pensiones annuas: & illarũ loco similes fructus eis quomodolibet pro tempore reseruatos, certis modo & forma transferendi: Necnon regressum ad pensiones, & fructus huiusmodi in actu trãslationis per decessum illorũ: in quos transferẽtur: sibi reseruãdi: ac gratiis expectatiuis ad tres Collationes: & totidẽ beneficia: etiã si vnum ex ipsis beneficiis alias sub eisdem gratiis comprehensis: generaliter reseruatum, seu affectum foret, Et per laicos & coniugatos: quo ad omnia gratias expectatiuas huiusmodi concernentia: vel eorum partem: Et per clericos, quo ad prerogatiuas eis concessas duntaxat, & ad reseruatum, seu affectum beneficiũ huiusmodi: in toto: vel in parte, vna vel pluribus personis: loco sui nominandis, Necnõ quibuscunque literis apostolicis, pro eorum singulis in Romane curie officiis: gratis expediendis: ac obitus & Coronationis Romanorum Pontificum temporibus: vestibus lugubribus ratione obitus: & rubeis ratione Coronationis huiusmodi: singulis eorum exhibẽdis: Et ex emolumentis annatarum: & cõmunium decem pro quolibet Centenario, Ex emolumentis Aluminum: & Thesaurarie Patrimonii, & Gabellarum Narnie tredecim mille quingentos & sexaginta: Ex emolumenris Thesaurarie & Marescalchatus, Notariatus Camere Prouincie Marchie Anconitane: ac Salariarum: & frumentorum: & aliorum bladorum tractarum, & maleficiorum dicte Prouincie: & Ducatus Spoletani, salariarum: & Thesaurarie Asculi Septem mille & quinquaginta. Ex emolumentis Salariarũ Romandiole: Exarchatus Rauenne: Bononie: & Datii vini Bononie: & Thesaurariarum dictorum locorum: ac Salis vendendi Dohanetiis Salariarum Marchie: & Ducatus Vrbini: Dominiorum Pisauri: & Senogallie: & Ceruie quinque millia: & sexcen-

De accessu & cõmẽda beneficiorum.

De potestate trãsferẽdi pẽsiões.

De regressu ad pensiones.

De expectatiuis.

De facultate nominãdi quo ad expectatiuas.

De expeditiõe gratis.

De vestibus lugubribus & rubeis.

De emolumẽtis Collegio ĩ sua erectione assignatis.

tos: Ex emolumentis Salariarum Vrbis: & suorum mem-brorum mille & quingentos: Ex emolumentis Dohanarum herbarum Patrimonii: & Vrbis: ac Thesaurarie Perusie, & Vmbrie, Septem millia: Ex emolumentis Dohanarum Vrbis Ripe: & Ripette: Merciũ sancti Eustachii: & Grascie Decem millia: & quingentos: Ex emolumentis Salariarum Ducatus Vrbini Dominiorum Pisauri: & Senogallie: dicte Camere spectantibus, quadringentos ducatos auri in auro de Camera singulis annis: & in principio cuiuslibet mensis ratam: Ex tractis Frumentorum: farine: & Tritellorum, atque aliorum bladorum, & leguminum a confinibus Terracine uersus regnum Neapolitanum: & a confinibus ciuitatis Senarum uersus almam Vrbem per mare: etiam ex alma Vrbe extrahendorum: vnum Leonem: quorum decem, ducatum vnum auri faciant pro quolibet rubro: Et ex tractis Aluminum ex Alumeriis Tulphe: & Magazenis ciuitatis Vetule: & aliorum locorum eiusdem sancte Romane Ecclesie extrahendorum pro quolibet Cantario Leonem vnũ similem: Ac nonnulla alia tunc expressa emolumenta concessit: & assignauit. Et deinde Nos ex certis causis Motu proprio: ex certa scientia: & matura deliberatione nostra, ac de apostolice potestatis plenitudine: uoluimus & mandauimus: quod firmo remanére assignamento de eisdem quinque millibus: & sexcentis Ducatis: alias per literas institutionis officii Militum huiusmodi (ut prefertur) facto: & sine illius preiudicio: ac etiam accumulatiue ad illos: quod ipsi Milites dictos quinque millia & sexcentos Ducatos: vna cũ aliis septem millibus eis ex emolumẽtis Dohanarum herbarum Patrimonii: & Vrbis: ac Thesaurarie Perusie: & vmbrie huiusmodi assignatis pdictis: & sic in totũ duodecim millia & sexcẽtos Ducatos similes anno quolibet: etiam ex eisdem emolumentis herbarũ Patrimonii & vrbis: ac Thesaurarie Perusie & Vmbrie: dicte Camere spectãtibus: perpetuo perciperẽt: & exigerẽt: ac percipere: exigere: & cõsequi possent, & deberent: dictosque Quinque mille & sexcentos Ducatos dictis septem millibus: ac Dohanis herbarum Patrimonii & Vrbis: ac Thesaurarie Perusie & Vmbrie predictarũ: & ex

De trãslatione a reb⁹ Romandiole ad Dohanas patrimonii &c.

illarum fructibus & emolumētis anno quolibet eidē Collegio militum persoluēdos perpetuo adiecimus : prout in dictis literis institutionis dicti Collegii : ac Mādato super adiectione nostra predicta : manu nostra signato : quorū tenores: perinde ac si de verbo ad verbum presentibus insererētur: pro sufficiēter expressis haberi volumus:plenius cōtinetur. Cū autem Nos pro instantis tēporis necessitate & subsidio tuitionis Fidei:ac libertatis Ecclesiastice de venerabiliū fratrū nostroꝝ dicte Romane Ecclesie Cardinaliū vnanimi cōsensu:& consilio:in dicta Vrbe vnū Montē Fidei erigere:& instituere ac illi certis suadētibus causis emolumēta ipsius Dohane Vrbis Mercium sancti Eustachii nuncupate:ex quibus pro rata dictoꝝ decem milliū:& quingētorum Ducatorum:ex emolumentis illius & aliarū Dohanarum Ripe & Ripette ac grascie militibus assignatorum huiusmodi: duo millia & quingenti Ducati dictis militibus(ut prefertur)assignati existūt:assignare intēdamus, Et sicut accepimus:pro eo quod post obitum dicti Leonis predecessoris:pie memorie Adrianus PP. VI. etiam predecessor noster: per quādam Cōstitutionē vndecima die mēsis Octobris Pont. sui anno primo in Cancellaria apostolica publicatā:omnes dispēsationes ad obtinēda beneficia Ecclesiastica : & percipiendas pensiones annuas super fructibus beneficioꝝ Ecclesiasticorū: ac mēsarum Episcopalium: Abbatialiū: Conuētualium:& Capitulariū per prefatum Leonem & alios quoscūq; predecessores suos quibusuis personis laicis:uel coniugatis clericis concessas reuocauit: cassauit:& ānullauit:ac beneficia dictarū dispensationū pretextu obtēta:nisi illa infra sex mēses dimitterent:eo ipso vacare decreuit:& pensiones dictis personis super eisdē fructibus quomodolibet assignatas extinxit:Et a nōnullis pretēdatur militibus:& eis cōcessis literis ꝑdictis:quo ad dispēsationem percipiendi pēsiones & fructus huiusmodi ꝑiudicatum fuisse,Nos attendētes dispensationē percipiēdi pensiones & fructus huiusmodi eisdē Militibus ꝓ tēpore existētibus ex titulo oneroso & in vim Cōtractus : ac intuitu officii & nō ꝑsonaꝝ ꝑpetuo cōcessam esse : & vt litere desuper cōfecte predicte, quo ad hoc illese permaneant, ac erectio Mōtis Fidei hu

Narratio qđ ꝑ erectione mōtis Fidei PP. intēdit separare a collegio dohanā mercium.

Narratio regule Adriani PP. V I. reuocatorie dispēsationū ad obtinēdas pēsiones per laicos.

Ratio ꝑ pēsionibus laicoꝝ,& cōcessionis presentiū,

huiusmodi liberius votiuum effectum sortiatur: Et ne milites prefati ex assignatione emolumentorũ Dohane Vrbis Mercium Sancti Eustachii huiusmodi quo ad duo millia & quingentos Ducatos predictos grauẽtur: sed ab omni incommodo & damno releuẽtur: efficaciter (prout debemus) prouidere volẽtes: habita super his cum eisdẽ fratribus deliberatione matura, & de illorũ cõsilio & assensu cũ infrascripta modificatione omnia & singula priuilegia, literas, dispensationes & decreta: declarationes: indulta: & alia quecũq; per dictum Leonẽ predecessorẽ: prefatis Militibus tũc & pro tẽpore existentibus & eorũ Collegio cõcessa, ac etiã literas huiusmodi: omniaq; & singula in eis cõtenta: & assignationẽ omnium & singulorũ emolumẽtorum in eisdem literis expressorũ (assignatione & perceptione emolumentorũ ex fructibus Dohane merciũ. S. Eustachii huiusmodi dũtaxat excepta) Necnõ adiectionẽ per nos de dictis quinq; millibus & sexcẽtis ducatis ex emolumẽtis herbarum patrimonii: & Vrbis: ac Thesaurarie Perusie & vmbrie aliis septẽ millibus prius ex eisdẽ emolumẽtis assignatis modo & forma: quibus illa per dictũ Motũ proprium nostrũ facta fuit: authoritate apostolica tenore presentiũ approbamus & cõfirmamus: ac plene & perpetue firmitatis robur obtinere. Necnõ dispensationẽ obtinendi: & percipiẽdi pẽsiones & fructus huiusmodi: & habendi accessum ad beneficia: super quibus pensiones & fructus ipsi reseruati fuerint in euẽtum nõ solutionis illorũ: ac beneficia ipsa in euentũ accessus huiusmodi in commẽdam ad tẽpus retinẽdi: necnon regressum ad pẽsiones & fructus predictos in actu trãslationis illorũ per decessum eorũ: in quos totiens quotiẽs transferẽtur: sibi reseruãdi eisdẽ militibus pro tẽpore existẽtibus per dictũ Leonẽ predecessorẽ (vt prefertur) cõcessam, & quo ad illã: literas predictas sub reuocatione, cassatione, annullatione, decreto, & extinctione Adriani predecessoris huiusmodi minime comprehẽsas: aut alteratas: nec per illas militibus ipsis: & eis cõcessis dispẽsationi & literis p̃dictis p̃iudiciũ aliquod generatũ fuisse aut esse: seu in posterũ fore: nec potuisse aut posse in futurum: sed illis nõ obstãtibus dictos Milites pẽsiones & fructus p̃dictos iuxta te-

Cõsensus Cardinalium.

Confirmatio literarũ erectionis.

Confirmatio trãslationis a rebꝰ Romãdiole ad dohanas patrimonii &c.

Confirmatio dispensationis ad obtinendũ Pensiones: Regula Adriani nõ obstante.

norē literarum Leonis pdecessoris huiusmodi libere & licite ob tinere, exigere:& pcipere potuisse,& posse:ac illos soluere de bētes ad illorum solutionē efficaciter teneri : & ad id cogi posse decernimus:& declaramus. Necnō tēpore obitus & corona tionis Romani Pōt. huiusmodi tres defensores, & qttuor mē sarii dicti Collegii: qui tunc tēporis erunt, vestes lugubres & rubeas habeāt, ipsiq; Milites pro tempore existētes sub cōsti tutione de resignationibus in loco beneficii publicādis & pe tenda possessione beneficiorū resignatorū ab eis ad quos per tinet, per nos edita, & pro tēpore existentē Romanum Pont. edēda, & pmissis vel aliis in ea contētis nullatenus actiue vel passiue comprehēdantur:nec cōprehēsi cēseantur,nec ad illi satisfaciendum actiue vel passiue vllo modo teneantur.

Quodq; tā Milites predicti : q̄ dicti Collegii Capellanus nūc & pro tēpore existētes, ac eorū singuli quascūq; litteras Apo stolicas gratiā vel iustitiā aut vtrūq; concernentes, etiā super omnibus:& singulis eis per presentes cōcessis priuilegiis:ex emptionibus, immunitatibus : & facultatibus simul vel etiā seorsum : ad partē de quolibet pro tēpore expediēdas in sin gulis Abbreuiatorū: Scriptorum & Sollicitatorum literarum Apost. ac Secretariorum: Plumbi Registri, ac aliis quibuscūq; dicte Romane curie officiis : gratis cum subscriptione videlicet. GRATIS PRO MILITE SANCTI PETRI. absq; aliq̄ prsus pecuniarū exactiōe & solutione expediāt,& expediri debeāt:& ita expediri mādamus,cū ita nobis per ali quos de Rota, qbus cognitionē validitatis Priuilegii de expe diēdo gratis huiusmodi viue vocis oraculo cōmisimus: fieri debere relatū fuerit:de similib[9] cōsilio & assensu,ac sciētia & potest.plenitudine innouamus,cōcedimus:ac ī aliis etiā mo dificamus.Causasq; inter ipsos Milites & Secretarios Apost. atq; alios officiales pfatos forsan poccupationē aut alias sup huiusmodi expeditione literarū gratis faciēda, & illius occa sione quomodolibet cōmisse reperiūtur : quarum status, atque nomina & cognomina iudicum : & colligantiū presentibus haberi volumus pro expressis ad nos harum serie aduocamus: & lites forsan pēdentes ac obligationes : & fideiussiones etiā in forma Camere cū iuramēto pro ipsorum Militū & Collegii

Vestes lugubres & rubee p tribus defensoribus & qttuor mēsariis.

Milites nō cōprehendūtur sub Regula de publicādis resignationibus.

Milites & Capellan[9] expediant gratis.

Sup singulis possunt expediri littere ad partem.

Aduocatio causarū & extinctio litiū & obligationū pēdētiū super expeditione gratis.

parte premiſſoꝝ occaſione in iudicio vel extra: quomodoli-
bet factas & preſtitas: illaꝝ tenores: ac ſi de verbo ad verbũ
preſentibus infererẽtur: pro ſufficiẽter expreſſis habẽtes pe-
nitus extinguimus: caſſamus: & reuocamus: necnõ Secreta-
riis & aliis officialib⁹ p̃fatis deſuper ꝑpetuũ ſilentiũ imponi-
mus. Et inſuꝑ de ſimili cõſilio: & aſſenſu emolumenta duoꝝ
milliũ & quingẽtoꝝ Ducatoꝝ ex emolumẽtis Dohane Vrbis
Merciũ. S. Euſtachii Collegio Militũ aſſignata huiuſmodi) aſ
ſignatione tamẽ eorundẽ decẽ milliũ & q̃ngentoꝝ duc. eiſdẽ
militib⁹ ex emolumẽtis aliaꝝ dohanaꝝ Vrbis Ripe & Ripet-
te: & Graſcie facta p̃dicta: ſalua & illeſa: ac in ſuo pleno robo
re ꝑpetuo ꝑmanẽte, & abſq; ipſius aſſignationis p̃iudicio) ab
eiſdẽ Militibus & eoꝝ Collegio: illoꝝ ad hoc expreſſo accedẽ
te cõſenſu, ex certa ſciẽtia ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine
abdicamus: & ſeparamus: ac ab omni ablegatiõe & hypothe
ca de illis Collegio Militũ huiuſmodi q̃uolibet facta abſolui-
mus. Necnõ in recõpẽſam emolumentoꝝ a collegio militũ
abdicatoꝝ huiuſmodi: p̃fatis collegio militũ ex emolumẽtis
ſalarie Vrbis: & ſuoꝝ mẽbroꝝ huiuſmodi: ex quibus mille &
q̃ngẽti duc. eiſdẽ Militibus iã annuatim ut p̃fertur) aſſignati
exiſtunt: alios duos mille & quingentos ducatos auri ſimiles
accumulatiue: Et ſimiliter firmo remanẽte aſſignamẽto de
dictis quadringentis ducatis ex emolumentis Salariaꝝ Du-
catus Vrbini: Dominiorum Piſauri & Senogallie Militibus
ipſis (vt prefertur) facto, & ſine illius preiudicio: ac etiã accu
mulatiue ad alios quadringentos Ducatos ſimiles ex emolu-
mẽtis Salarie Vrbis: & mẽbrorũ eius huiuſmodi. Ita vt ipſi
Milites vna cum dictis Mille & quingẽtis Ducatis iam aſſigna
tis, duos mille & quingentos: ac pro eorum arbitrio alios
Quadringentos Ducatos & ſic in totum Quattuor mille &
quadringentos ducatos ex Salarie Vrbis & membroꝝ eius
huiuſmodi, vel ipſos Quadringentos Ducatos ex Salariarũ
Ducatus Vrbini & Dominioꝝ Piſauri & Senogallie emolu-
mentis huiuſmodi ad dictam Cameram ſpectãtibus perpe-
tuo percipiant, ac percipere & cõſequi poſſint, ac ſibi perſol
ui debeant, in omnibus & per omnia, alias iuxta dictarum li
terarum prioris aſſignationis continentiã, & tenorem de ſi-

Dohana merciũ a collegio ſeparatur.

Duc. 2500 quot dicta ſeparatio importat ad ſalariã Vrbis trãſferuntur.

Duc. 400. a Salariis Vrbini &c ad dictã Salariã vrbis trãſferũtur firmo remanẽte priore aſſignamento.

Super ſalaria Vrbis ſingulis annis ſũt aſſignati Duc. 4400.

mili cõsilio, & assensu, ac potestatis plenitudine, authoritate & tenore predictis perpetuo cõcedimus & assignamus, ac cõcessos & assignatos existere, & cẽseri, dictosq Milites illos exigere consequi, & percipere perpetuo posse, Nec non Conductores, seu emptores, & alios quoscũq etiam pro Camera apost. vel eius nomine, aut ab eis causam habẽtes exactores pro tempore existẽtes ad dictos quattuor mille & Quadringentos Ducatos ex dicte Salarie Vrbis & membrorum eius emolumentis Collegio militum huiusmodi seu ab eis deputandis singulis ãnis per mensiuas solutiones, videlicet ratam in principio cuiuslibet mensis realiter & cum effectu persoluendos, & si emolumenta huiusmodi ad id supperere, seu illa in totum vel in partem ipsi Milites pro tẽpore consequi non possent, aut ex aliqua causa nollent, Cõductores & Appaltatores pro tẽpore existentes aliarum Dohanarum Vrbis predictarũ ad summã ex dictis quattuor millibus & quadringentis ducatis deficientẽ seu etiã ad totã summam dictorũ quattuor mille, & quadringentorum Ducatorũ Militibus seu deputatis prefatis, simili modo persoluẽdum, omni exceptione cessante teneri, & efficaciter obligatos fore, & ad id cogi, & cõpelli posse decernimus, ipsaque emolumenta Vrbis & aliarum Dohanarum predictarũ, Necnon omnia & singula alia, res, & bona spiritualia & temporalia ad nos & Camerã predictam nunc & pro tẽpore spectantia, in vim validi, efficacis, ac perpetui contractus, etiam iurati specialiter & expresse obligamus, & hypothecamus: ac obligata & hypothecata esse & censeri, & ad hoc bona fide efficaciter teneri volumus, & decernimus: ac in summa Quattuor millium & Quadringentorum Ducatorũ huiusmodi ex illorũ emolumentis predictis ipsis Militibus seu ab eis deputandis annuatim persoluenda simili cõsilio & assẽsu etiam in uim similis contractus obligamus & hypothecamus ac obligata & hypothecata esse etiã in fide ueri Ro. Pon. etiam pro successoribus nostris Romanis Põ. recognoscimus & attestamur: Et nihilominus cũ Milites p̃fati nobis in principio nostri Põ. pro oneribus dicte sedis supportãdis in summa quadraginta millium Duc. auri & vltra ex eorũ prouẽtibus subuenerint, & in

E

Hypothecatio rerũ Camere p obseruatione trãslationis.

Exẽptio a decimis: stratis: & salario Depositarii: & aliarũ impositionum.

solutionibus Decimarũ,& impositionũ etiam ratione stratatum:& viarũ publicarũ alme Vrbis exactarum,& Salarii mille & sexcẽtorũ Duc. auri eorum Depositarii: & alias plurimũ etiam p̃ter & cõtra tenorem lrarũ erectionis eorum Collegii huiusmodi forsan de facto grauati, & diuersa incõmoda sustinuisse noscant: illos eiusdẽ sedis liberalitate cõplecti volẽtes, eosdẽ Milites nũc & p tẽpore existẽtes, eorũq; Collegiũ nõ solũ ab eisdẽ solutionib⁹, Decimarꝝ, etiã impositionibus: seu solutionib⁹: etiã ratiõe stratarꝝ: & viarũ publicarꝝ p̃dictarꝝ ac Salarii mille & sexcẽtorꝝ duc. auri eorꝝ depositario (vt prefert) factis & qbuscũq; aliis impositionib⁹, solutionibus, & p̃stationibus Collectarꝝ, Exactionũ, Datiorꝝ, Gabellarũ, & charitatiuorꝝ: & aliorũ subsidiorꝝ, & onerũ quorũcũq;, etiã authoritate apost. prefata, etiã p Cruciata vel alia quauis etiã vrgẽtissima causa, etiã super fructibus, & emolumẽtis officiorꝝ eiusdẽ Ro. curie quomodolibet impositorꝝ, & inposterum imponẽdorꝝ, ĩ illisq; faciẽdis cõtributionibus ita vt illorꝝ exactores aut alii qcũq; cuiuscũq; Ecclesiastice vel mũdane dignitatis vel preeminẽtie, status vel cõditionis existãt: etiã si Cardinalatus honore suffulti forent, ipsos Milites aut eorꝝ Collegiũ huiusmodi ad aliquã solutionẽ coarctare: aut eos vel eorꝝ aliquem super p̃missis, aut eorũ usu, vel possessione, seu quasi, directe vel indirecte quouis quesito colore vel ingenio molestare, vel impedire, vexare, aut alias quomodolibet inquietare nullatenus possint, Ita tamen quod dicti Milites pro tempore existẽtes annis singulis in die Epiphanie Domini vasa argentea valoris ducẽtorũ Ducatorꝝ auri cum Armis Collegii, que minime alienari possint, nobis & pro tẽpore existentibus Ro. Pon. donare teneantur, ex nunc perpetuo eximimus & liberamus ac exẽptos & liberatos esse volumus & decernimus, sed etiam facultatem deputandi Collectores pro decimarum exactione: & emolumẽtorum perceptionẽ in litteris erectionis Collegii huiusmodi eis cõcessam, eis cõfirmamus, Decernẽtes pro premissorꝝ omniũ perpetua validitate: & obseruatione per quoscũq; Iudices etiã sacri Palatii Apost. causarũ Auditores, & sancte Ro. Ecclesie Cardinales, sublata eis & eorũ cuilibet: quauis aliter iudicandi: & inter

Pro exẽptione huiusmodi tenẽtur singulis ãnis donare Pape vasa argentea valoris Duc. 200.

Confirmatio facultatis deputãdi Collectores decimarum.

Decretum irritans.

pretandi facultate, & authoritate, sic iudicari & diffiniri debe re, ac irritũ & inane quicquid secus super his a quoquã, qua/ uis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca vniuersis & singulis Venerabilibus fratribus no/ stris dicte Ro. Eccle. Card. Patriarchis, Archiepis: & Epis: a c dilectis filiis ordinariis Ro. Curie, ac Abbatibus, & Priorib᷑, & aliis personis ĩ dignitate Eccl. cõstitutis, per apost. scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorũ, per se vel alium seu alios, presentes litteras, & in eis contenta quecũq: vbi & quãdo opus fuerit: & quotiens ꝑ parte Collegii seu mi litũ predictoꝝ: seu defensoꝝ dicti Collegii pro tempore ex/ istentium, aut alicuius eorũ desup fuerint requisiti: solenni/ ter publicates, eisq; in ꝑmissis efficacis defensionis presidio assistẽtes faciant: authoritate nostra: presentes & alias erectio nis eiusdẽ Collegii litteras ac in eis contẽta huiusmodi firmi ter obseruari: ipsosq; Milites pro tẽpore existẽtes illis pacifice gaudere, nõ permittẽtes eos desuper per quoscũq; quomo/ dolibet indebite molestari: Cõtradictores, molestatores quos libet & rebelles per cẽsuras & penas Eccl. appellatione post/ posita copescẽdo, ac censuras & penas ipsas iteratis vicibus aggrauãdo, inuocato etiã ad hoc si opus fuerit, auxilio Bra/ chii secularis: ac eisdem Card. Patriarchis: Archiepis: et Epis ac ordinariis & aliis personis in dignitate cõstitutis, & eorum cuilibet quoscũq; Appaltatores debitores, eorũdem Colle/ gii & Militum: vel alios quoꝝ interetit: etiã in decreto: vel exe cutione citationis nominandos etiã per edicta publica locis publicis affigẽda (constito summarie & extraiudicialiter de non tuto accessu) que perinde ipsos & eorum quemlibet arctent, ac si eis personaliter intimata fuissent: in prefata Curia, vel extra eam & in partibus monendi & citandi, ac Camerario & Vicecancellario nostris nunc & pro tẽpo/ re existentibus, Vicecamerario: & Presidentibus & Clericis dicte Camere, necnon quibuscunque aliis Officialibus & personis quacunque etiam Cardinalatus honore, di/ gnitate, seu officio fungentibus, etiam in litteris erectionis dicti Collegii nominatis, ne de Collegio militum, & emo/ lumentis eidem assignatis huiusmodi, vel eoꝝ causis, liti/

Iudices & conserua/ tores eligẽ/ di arbitrio Militum.

bus: questionibus: & negociis se (eisdē militibus, seu eoꝝ defensoribus inuitis) quoquomodo intromittāt: quotiēs opus fuerit: etiā sub similibus cēsuris, & penis Ecclesiasticis ac etiā pecuniariis eoꝝ arbitrio moderādis & applicādis inhibēdi,

Cōductores emolumētorum cogant ad se Collegio obligādum.

Necnon eosdē Conductores: Emptores: & Appaltatores prefatos: ad contrahendū & se dictis Militibus de soluēdo singulo mēse ratam emolumentoꝝ per eos respectiue dicto Collegio debitā, iuxta literaꝝ earundē tenore: obligādū: & cū effectu debito tempore soluēdū: etiā per similes cēsuras & penas cogendi & cōpellendi, ac in omnibus & singulis causis & negociis ipsoꝝ Collegii & militū contra eosdē & alias quascūq; priuilegiatas, publicas & priuatas personas & alios officiales Curiæ huiusmodi, etiā summarie: simpliciter & de plano: sola facti veritate inspecta sine aliqua iudiciaria tela: ac manu regia proceden̄. decidēdi & exequendi: ac cum facultate ad aliū iudicē cōuolādi, & litem corā vno incohatā & non finitā corā alio continuādi & ꝓcedendi totiēs quotiēs opus fuerit, & eisdē Defensorib⁹ placuerit, & uisum fuerit: necnō omnia & singula alia in p̄missis, & circa ea necessaria: seu quomodolibet opportuna faciēdi & exequēdi de eorundem fratrū matura deliberatiōe: cōsilio & assensu, plenā & liberā facultatē & authoritatē cōcedimus: eisq; & eoꝝ cuilibet expsse cōmittimus & mādamus.

Expeditio summaria & manu regia.

Facultas vno iudice relicto ad alium conuolandi.

Nō obstancia.

Nō obstātibus p̄missis, ac cōstitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnō Vrbis: & Camere predictaꝝ iuramento cōfirmatione Apostolica uel quauis firmitate alia roboratis statutis & cōsuetudinib⁹: priuilegiis quoq; & indultis Apost., tam Camere, q̄ cōductoribus emolumentorum dicto Collegio assignatoꝝ: Cōuentionibus, Capitulis & cōtractibus: per Appaltatores: & cōductores huiusmodi etiam cū Camera, etiā cum iuramēto: vel alias hactenus factis: vel in posterū faciendis: etiā si in eis caueretur expresse, quod in dicta Camera conueniri debeant, & coram aliis iudicibus cōueniri nequeāt, ac Secretariis: & aliis officialibus p̄fatis, eorūq; Collegiis, etiā per modum contractus, & pacti: seu statuti ꝑpetui, etiā ex quibusuis etiā onerosis causis & cū quibusuis: etiā derogatoriaꝝ derogatoriis clausulis: irritantibusq; & aliis decretis, etiā quod illis nullatenus: aut nō

nisi modo & forma, in eis expressis derogari possit, dispon-tibus, etam de simili consilio etiã consistorialiter, aut Motu proprio & ex certa sciẽtia aut de apost. potestatis plenitudi-ne, etiã iteratis vicibus, etiã forsan per nos cõcessis approba-tis & innouatis, quibus omnibus etiã si de illis: eorumq; totis tenoribus speciale: expressam & indiuiduã mentionem fieri oporteret, tenores huiusmodi: ac illorum formas: & Datas, necnon decreta in eis apposita: & causas propter quas con-cessa fuerint: ac si de verbo ad verbũ: nihil penitus omisso, et forma in illis tradita obseruata: inserti forent, p̃sentibus, pro expressis habẽtes, illis alias in suo robore pmãsuris: hac vice dũtaxat specialiter et expresse derogamus, et sufficiẽter derogatũ esse decernimus, necnõ etiã omibus illis: que Leo predecessor prefatus in dictis suis litteris voluit non ob-stare: Et que presentibus pro expressis et repetitis haberi vo-lumus, ceterisq; cõtrariis quibuscunq;. Aut si predictis: et quibusuis aliis Collegiis, conductoribus: Iudicibus, et perso-nis cõmuniter vel diuisim ab eadem sit sede indultum: quod interdici: suspẽdi: vel excõmunicari: seu corã aliis iudicibus q̃ i dicta Camera: vel alio certo tribunali: euocari nõ possint per litteras apost. nõ faciẽtes plenam & expressã, ac de verbo ad verbũ, de indulto huiusmodi mẽtionẽ. Ceterum ne quis premissorũ ignorãtiam aliquã pretẽdere possit vel etiã alle-gare, volumus & apost. authoritate ac de eorũdem fratrum cõsilio & assensu decernimus & mãdamus, quod, postq̃ pre-sentes littere vel earũ trãsumpta: etiã impressa: manu notarii publici seu alicuius Defensoris & Capellani dicti Collegii subscripta, & Sigillo alicuius Curie Eccl. seu persone i dignitate Eccl. cõstitute, aut eiusdẽ Collegii munita: quibus sicuti ipsis originalibus litteris, si exhiberẽtur vel ostẽderẽtur, fidẽ vbiq; etiam in iudicio & extra adhiberi debere decernimus, per vnũ ex Cursoribus nostris in valuis Cãcellarie & Came-re Apost. & Auditorii nostri Rote affixe fuerint, prout sic affigi volumus, & mãdamus, post diẽ affixionis huiusmodi, omnes & singulos, quos ipse littere cõcernũt, perinde arctet ligent, & obligẽt in omnibus & p omnia, ac si presentes litte-re eis & eorum cuilibet psonaliter insinuate, & intimate forent.

Presentes post earum affixiones afficiunt.

Trãsumptis p̃sentiũ fides adhibeatur.

Nulli ergo omnino hominũ liceat hãc paginã nostre appro-
bationis, cõfirmationis, decreti, declarationis, mãdati, inno-
uationis, cõcessionis, modificationis, volũtatis, aduocationis
extinctionis, cassationis, reuocationis, impositionis, abdica-
tionis, separationis, absolutionis, cõcessionis: assignationis,
decreti, obligatiõis: hypothecationis: volũtatis, decreti, obli-
gatiõis, hypothecatiõis, recognitiõis, attestatiõis, volũtatis:
exceptionis: liberationis: decreti: cõfirmationis: volũtatis: mã-
dati: cõcessionis, cõmissionis, mãdati, derogationis, decreti,
volũtatis, decreti, mãdati, & volũtatis infringere, vel ei ausu
temerario cõtraire. Siquis autẽ hoc attẽtare presumpserit,
indignationem omnipotẽtis Dei ac beatorum Petri & Pauli
Apostolo. eius se nouerit incursurũ. Datũ Ro. apud S. Petrũ
ãno incarnationis Dominice M.D.XXVI. XVII. Cal.
Nouembris: Pontificatus nostri: Anno Tertio.

✠ Ego Clemens Catholice Ecclesie Episcopus subscripsi.



✠ A. Episcopus Ostien. manu propria subscripsi.
✠ A. Episcopus Portuen. manu propria subscripsi.
✠ P. Episcopus Sabiñ. manu propria subscripsi.
✠ Lau. Episcopus Prenestinus manu propria subscripsi.
✠ I. Episcopus Alban. subscripsi.

✠ Ego Io. Do. tt. S. Apollinaris presb. Card. Trani. m.p. s.
✠ Ego A. Cardinalis de Valle manu propria.
✠ Ego S. Triuultius Cardinalis Comen. subscripsi.
✠ Ego D. tt. S. Clemētis presb. Card. manu pp. subscripsi.
✠ Ego L. Cardinalis Campegius manu propria subscripsi.
✠ Ego F. Ponzettus Cardinalis Melfiten. subscripsi.
✠ Ego F. Armellinus Medices Card. Camera. subscripsi.
✠ Ego E. Cardinalis S. Math. manu mea subscripsi.
✠ C. Cardinalis Araceli manu mea subscripsi.
✠ Ego V.V. Cardinalis Dertusen. subscripsi.

✠ Ego F. S. m. in Cosmedin Diac. Card. Vrsinus m.p. sub.
✠ Ego P. S. Eustachii Diac Card. manu propria subscripsi.
✠ Ego Alex. Card. Cesarinus manu propria subscripsi.
✠ Ego N. Car. Rodulphus manu propria subscripsi.
✠ Ego Her. Cardinalis de Rāgon. manu ppria subscripsi.
✠ Ego F. Cardinalis Pisan. manu propria subscripsi.

F. de mirand.

¶ Anno a natiuitate dñi. M. D. XXVII. indictione. XV. die. III. mēsis Iañ. Pōtificatus Sāctissimi in Christo patris & dñi nr̄i dñi Clemētis diuina puidentia Pape. VII. Anno Quarto Retroscripte littere Apost. appēse, affixe, & publicate fuerūt in Cācellarie, & Camere Apostolice necnon Auditorii Rotæ valuis seu portis per me Petrū Craseti pfati D.N. Pape & sedis Apostolice ac Romañ. curie Cursorem.

Ita est Ioannes Valtrini pro magistro Curs.

Registrata in Camera Apostolica.

Phip. de Cesis.

Officij Militum }
Sci: Petri de Urbe } Collegium.

Universis et singulis presentes inspecturis fidem facimus qualiter presens transumptum bulle confirmationis erectionis Collegij nostri ad Instantiam domini Fabij Cardoli Narnien. ad presens Collegij nostri Militis est collationatum et mediantibus quibusdam lituris et additionibus manu Cappellani nostri infrascripti factis et loco suo prima sui nominis littera E signatis concordare cum suo originali. In quorum fidem presentes dominorum Collegij nostri Defensorum et Capellani inter eorum manibus subscribi et sigilli nostri appensione muniri fecimus. Datum Rome In Cancellaria Apostolica die vij Novembris M. D. xxxvij Pontificatus prelibati S.mi D. N. D. Pauli divina providentia PP. iij Anno quarto.

V. Episcopus Velleuren miles et defensor manu propria

Ja: Cortesius Miles et defensor

Evangelista Argenti de Cesis Capellanus nec non In Archivio Ro. Cu. descriptus

Lico 15

40
45
28
3
116

45
28
3

76

116

40
13
42
48
6

1497

28

76

112

